



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 24. Legatus Parisiis regali pompa exceptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A. C. 1596.

guerio, quamvis Calvinista, in Regni finibus magno comitatu, & pompa Lugdunum deductus, a Metensi, Cœnomanensi, & Ebroicensi Episcopis, necnon a Gondio Cardinale, quos Rex obviam misit, salutabatur: postea vero Mense Julio Castrum usque, quod oppidum prope Montleherium octava Leuca Parisiis distitum est, a Philiberto Guichio Provinciæ Præsidente, & Gilberto Chaferano, aliisque Præfectis solemnî pompa deducebatur, ad quem locum ipsemet Rex veredariis equis contendens Legatum nondum regali apparatu, sed duntaxat familiari salutatione honorabat, unacum primariis Regni Principibus, & Proceribus, quos inter etiam ipsum Meduanum Ducem adesse voluit, ut Legato testatum redderet, quanta comitate, & fiducia cum iis, quos paulo ante infensissimos Fœderatorum Duces expertus erat, facta reconciliatione uteretur.

§. XXIV.

*Legatus Parisiis regali pompa
exceptus.*

Thu. Daniel Postquam Cardinalis aliquamdiu Ca-
& Spond. l. t. stri substiterat, tandem iter Parisios
Ciacon t. 4. versus prosequeretur, cumque urbi
vit. Pontif. propius accederet, Rex Henricum Bor-
pag. 72. bonium Condæum octo annorum pue-
rum,

rum, ac primum Regiæ stirpis Principem cum magno Procerum comitatu obviam misit, ut hunc legatum Regis nomine salutaret. Legatus die vigesima quinta Julii solemnem ingressum in urbem celebrabat, præeuntibus Condæo, & Montpensiero Principibus, illumque usque ad templum sancti Jacobi comitantibus: ibi autem pro more Clerus, Senatus, Universitas, ceterique urbis Ordines ipsum salutaturi advenierant, nomine Senatus perorante, ac prosperum in Gallias adventum eidem gratulante Achille Harlæo Præsidente, cui Legatus paucis verbis hæc respondit: „a Communi omnium Christianorum Patre benigno, ac pacifico „in Gallias missus sum, & si vel unquam „turbatis temporibus Legatorum adventus forte molestus accidit, nunc „& in posterum de prospero rerum eventu, ac paterna Pontificis sollicitudine cunctos, qui Regni salutem cupiunt, lætaturos spero.„ His dictis post prandium Legatus sub serico rubri coloris umbraculo a præcipuis Urbis civibus delato ad ecclesiam Beatissimæ Virginis deducebatur, comitantibus eum utroque Regii sanguinis Principe, Prælati, ceterisque urbis ordinibus. Ceterum magis adhuc magnifica fuisset hujus ingressus solemnitas,

Sæcul.XVI.
A.C.1595.

Sæcul. XVI
A.C. 1596.

tas, nisi pestilentiae vis, quæ tum Parisinam urbem depopulabatur, promptum Regis, Legatique ex hac Metropoli discessum suafisset.

§. XXV.

Apostolici Legati mandata in Senatu exhibita, ac tabulis inserta.

*Tha. 83
Daniel. 1 c.*

Jam antea die tertia Julii Henricus Rex Abbatis-villa, ubi tunc in castris agebat, regio diplomate misso Parisiensi Senatui præceperat, ut more in Galliis recepto mandata Florentino Cardinali a Pontifice data promulgari, atque ad acta referri curaret, quatenus exinde Clementi Papæ notum fieret, quod ad obsequium sacrae Sedi debitum palam testificandum nec ipse, nec ejus subditi quicquam prætermittere velint: quamprimum igitur hæc mandata, seu Facultatis Legato concessæ literæ ad Senatum fuerant delatæ, mox perorante Ludovico Servino Regis Advocato Senatus præcepit, ut tam diploma regium, quam Pontificis literæ promulgatæ tabulis infererentur, ea tamen lege, vi cujus ampliora mandata, Legato a Papa concessa restringerentur ad conditiones alias apponi solitas, simulque is duntaxat, quamdiu Regi placuerit, legatione fungi posset, ea vero functus legationis suæ acta Regi traderet,